ACAD. LUGD. BAT. BIBL.



Heroicae molitionis circa Buscoducum arbiter es, Clar.mo
Hugens, Principis necessaria Musaeo secreto curans. faxit mi-
litiae praeses Deus, ut impietatis latebra Batavorum termis
cedat, et nova Principis auguralia tam nobili expugnatione ce-
lebrentur. Ego tuum in longinquo successum votis prosequor,
velut milites in propinquo aleam belli tentantes laudare con-
suevi. Et quidni calidius in deditionem incidimus? quando civitas
ad nos tradux plurimis fortunam augere spondet, velut Patria
nostra infinito consulitur, limitando hoste in fugam acto. Ego
quoque interea vos calculis meis attendo, ut pulverulenta Sparta
exuar, in lautiorem et magis honoratam transferendus. Magna
enim munerum dispensatio esse solet, ubi subsellia publica probi-
denda sunt iis administris datis, quibus tuta fides et religionis
indelibata copia est. Sed in adipiscendo unica difficultas se
opponit, quod variis excussis solitudini tradar, neque invenien-
di argumentis repulsas praecludere queo. Ut ad praesidia
aliena confugere cogar, tua praesertim solidiori robore mu-
nita, et urgendi efficacia insignita. Si quid ergo nostris
usibus aptum censebis, ubi ad nos victoria inclinabit, in eo te
nobis patronum precor, ut tuis calculis admissiones nobis fa-
ciliteniur. Definire quicquam supersedeo apud te, quem varia
ad castra expeditione, munerum civilium rationes callere
intelligo. fruere ergo in prostrati Gruteri spem adminiculis
solitis, quae plurimis utilia fuerunt. Ego operae tuae me-
rita quocunque valeo reciproco compensare spondeo, si modo
tibi benefaciendo versura operari solet. Cenellas vero
etiam reponendo, Deos tibi custodes cum illo loquar debitores
faciam, et quot tibi subsidiarios obstringo, liberorum omnem
numerum. Quinque enim mihi in Patria fruges educantur,
macilento reditu utilitatem publicam procurante. Tibi de-
inde in valetudine fatidicus sum, ut quadrigas victoriis ani-
mo et corpore integer sequaris, triumphis nostris interfutu-
rus, quot tua quoque opera partos multitudo celebrabit. Vale
vir Clarissime. Amsterd. Ipsis Idibus Julij
CIↃ IↃC XXIX
Ick woone op de Angelier graft in de Engelsmas.

Aliena manu, mea enim aegra hoc tantum
subscripsi

Tuus

Petrus Gruterus Medi-
cinae doctor etc

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruter) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/454

Hooch geleerde wijse voor-
sienige Constantinus
Hugenius Secretarius
vanden doorl.$^{der}$ Prinse
van oranje. int Leger
voorden

[illegible]
par amis

Bosch

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruter) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/454